

ATHENAEI ILLUSTRIS
AMSTELODAMI ANNO MMXII RENATI

TERTIUS

LATINITATIS CONVENTUS

quo oratio habita esset

*De Vondelii Metamorphoseon Ovidianarum
versione et de ejus arte Poetica*

quæ autem propter causas inopinatas
necnon dolendas haberi nequibit,

huic tamen alia oratio feliciter succedet

*De Thomæ Mori Utopia interpretanda,
ac tres aliæ orationes mirificæ*

celebrandus Amstelodami,
in sacello Sororum Sanctæ Agnetis
(*Agnietenkapel, UvA*)

Saturni die 28^o m. Martii a. 2015^o
ab hora 12.30 ad 17.00

Notate bene quæsumus ordinem rerum agendarum
oratoresque mutatos

Ut iam haud sine dolore annuntiavimus, egregius ille professor **Michael von Albrecht** certiores nos fecit sibi, quum necessariorum suorum valetudo adversa Fortuna vexetur, in Bataviam venire non licuisse. Tam Michael quam ejus necessarii, ut infesta hæc sibi tempora animi fortitudine bonaque spe perferant, ex imo corde exoptamus.

Nobis tamen feliciter ad tempus a Michaele admonitis, doctorem ab eodem diligentissime valdeque ex animo commendatum, **Rutgarium Niehl**, e Germania a nobis exceptum iri magnopere gaudemus, cui id vehementer gratulamur quod, quamquam brevissimo temporis spatio opressus, se nihilominus Conventui nostro libenter interfuturum esse humanissime affirmare non cunctatus est.

ORDO RERUM AGENDARUM

12.30-13.00 Participes in Sacello excipiuntur

13.00-13.10 **Sebastianus Petrus van Bommel**
Verba aditialia

13.10-13.50 **Rutgarius Niehl**
De Thomæ Mori "Utopia" interpretanda

Utopia Mori procul dubio summum in litteris Neolatinis locum tenet multisque modis vulnera cicatricesque societatis humanæ etiam hodiernæ attingit. Maxime autem inter se differunt opiniones doctorum, qui investigaverunt, quid Morus ipse hoc opere promulgando voluisset. Qua re brevissimo conspectu vitæ morumque auctoris prolato varias sententias eorum virorum doctorum, qui huius operis interpretationes plus minusve universales proposuerunt, explicantes merita singulorum æstimabimus nostramque adiciemus. Orationis cursus ita instituetur, ut et illi, quibus Utopia bene nota est, et illi, quibus minus familiaris est, æque rei tenorem percipere possint.

13.50-14.30 **Sietsus Venema**
De bonis litteris in gymnasiis nostræ ætatis docendis

Hac mea acroasi verba fient de studiis bonarum litterarum in nostræ memoriæ gymnasiis, quaque ratione sibi ea res publica Batavica persequenda proposuerit. Paucis ergo locis demonstratis, præsertim e dialogis Ciceroniano et Evangeliphoro sive Cyclôpe, de eorum studiorum juxta Erasmus finibus summarium præbebo. Deinde statum bonarum litterarum breviter attingam, ut nunc res se habent. Conficiente oratione, quatenus inde bonæ litteræ etiam nunc usui esse possint admonebo, itemque rationes quasdam evolvam quibus augeri hæc studia in gymnasiis possint.

14.30-15.00 Intercapedo

15.00-15.40 **Martinus Baasten**

Quid Picus ille Mirandula de arte Cabbalistica senserit

Quamquam Latinitatis amatores quique *Orationem de hominis dignitate* Pici illius Mirandulæ (1463-1494) jure ac merito legunt laudantque, pauci tamen sibi conscii esse videntur eandem, elegantissimam illam quidem, non fuisse nisi ‘præfationi’ maximo ejusdem operi *Conclusiones nongentæ* (1486) inscripto, quo auctor omnem doctrinam sapientiamque (‘omnem rem scibilem’) universo quodam conspectu amplecti studebat. Cujus operis, intellectu perdifficilis ideoque sæpenumero neglecti, haud exigua pars doctrinam q.d. ‘Cabbalisticam’ attingit, quam priscam atque arcanam sapientiam Picus primus scriptor Christianus censebat Judæos in litterarum monumentis eorum servavisse. Nonnullas harum conclusionum præsertim Cabbalisticarum ex ipsis fontibus Hebræis eo explicandas suscipiemus, quo liqueat quid Picus ille Mirandula de arte Cabbalistica senserit.

15.40-16.20 **Christianus Laes**

De Latinitate Viva sive de dissensione evitanda!

Inter Latinæ linguæ fautores nostri temporis alii sunt qui, linguam Latinam mortuam ducentes, maximum emolumentum litterarum Latinarum studii in eo ponant ut auctores scriptaque tot sæculorum melius penitusque cognoscantur; alii autem qui linguam Latinam vivam putent aptissimamque ad colloquendum et scribendum de rebus hujus memoriæ. Hosce duos greges sæpius inter se pugnare valde est dolendum. Lingua enim Latina inter mortem et vitam medium locum obtinens aptissima est quum ad sensa veterum scriptorum communicanda tum ad agendum de rebus quae nunc sunt. Maximopere igitur est curandum ut dissensio inter fautores linguæ Latinæ evitetur!

16.20-16.45 Disputatio et conclusio

Sebastiano Petro van Bommel moderante

Licet omnibus vel Latine vel aliis linguis rogare et disputare.

De locuturis

Dr. Martinus (*Martin*) BAASTEN in Academia Lugduno-Batava linguam Hebræam litterasque Rabbinicas docet. Dissertationem scripsit de syntaxi sermonis Hebræi in voluminibus dumtaxat ad Mare Mortuum repertis. Anno 2013 a studiosis Academiæ Lugduno-Batavæ præmio docendi ornatus est. Rursus carmina Latina condere solet, quæ quidem olim divulgare cupit.

Dr. Sebastianus Petrus (*Bas*) van Bommel, natus Amstelodami anno Domini 1979, in Universitate Amstelodamensi et Cantabrigiensi litteris classicis studuit. Laurea doctorali anno 2013 impetrata, nunc temporis in Universitate Ultrajectina litteras cum classicas tum recentiores docet. Nuperrime librum de linguis classicis instituendis in Gymnasiis Theodiscis sæculis XVIII et XIX in lucem edidit, qui Anglice ‘*Classical Humanism and the Challenge of Modernity*’ inscribitur (Walter de Gruyter Verlag, Berlin/Munich/Boston, 2015).

Prof. dr. Christianus (*Christian*) LAES, anno 1973 natus, ex Belgio Flandrus oriundus, in studiis maxime ad vitam antiquorum Romanorum cottidianam spectantibus strenue versatus est, rerumque illius tempestatis variarum statum (pueritiæ, juventæ, Veneris, vitæ domesticæ etc. cogita) per plurimas suas acroases, symbolas, libros in optimo lumine ita collocavit, ut hac sibi in provincia inter omnes nunc vivos amplissimam famam atque auctoritatem jure meritoque peperisse dicatur. His academicis studiis accedit societas Flandrica c.n. Classica, cujus sodales, optime de republica meriti, duce Christiano Laes linguarum docendarum methodis in Belgio expediendis student. Ceterum partem Academiæ Latinitati Fovendæ habet bonasque illas litteras ad pristinum honoris gradum provehendas magnopere contendit.

Dr. Rutgarius (*Rüdiger*) NIEHL anno 1973 in municipio Sancti Wendalini in Germania natus est. Litteris autem studuit Latinis et Germanicis Ratisbonæ et Romæ et postremum Heidelbergæ, ubi anno 2001 dissertatione de Vergilii Æneide scripta ad lauream artium promotus linguam litterasque docebat et colloquia Latina instituit. Inter

annos 2002 et 2005 editiones electronicas librorum Neolatinorum procuravit, cui incepto universitatum Heidelbergensis Mannhemiensis-que nomen "CAMENA" inditum est. Anno 2005 sodalis ordinarius in Academiam Latinitati Fovendæ cooptatus est. Anno 2007 magistri munus in gymnasio humaniore Caroli-Fridericiano Mannhemii suscepit. Ex anno 2013 cum aliis cursus aestivos Latinitatis vivæ Matritensis moderatur, quos instituit opus fundatum *Cultura clásica*.

Drs. Sietsus (*Sietse*) VENEMA adhuc brevem vitam degit. Ludimagister quidam optimus, nomine Paulus Wiewel, cupidinem litterarum Latinarum ultimo gymnasii anno, quo Vergilii Æneidem legebant, venis ejus tamquam venena tenacissima instillavit. Res ab Ænea in Tartaro gestas Latine legere posse ei tantum bonum videbatur, ut studia in universitate studiorum ad extremum usque exsequi vellet. Studiis Noviomagi perfectis ipse ludimagister fieri constituit. Nunc operam dat in municipali gymnasio Arnhemensi, ubi greges nonnullos Latine linguam Latinam docet, exemplum sequens eorum magistrorum quos inter præteritos dies Latinos cognovit.

De illo qui locuturus esset cujusque absentia maxime dolemus

Prof. dr. Michael VON ALBRECHT natus est Stutgardiaë, ubi Latine didicit primo ex patre, deinde in gymnasio Eberhardo-Ludoviciano. Tum studuit musicaë (Stutgardiaë), litteris classicis, indologiaë (Tubingæ et Lutetiaë). Doctoris gradum anno MCMLIX, veniam legendi anno MCMLXIII adeptus, anno MCMLXIV Heidelbergæ philologiaë classicæ professor ordinarius factus est. Docuit etiam in Universitatibus Amstelædamensi, Texana, Floridensi. Hospes fuit in Instituto Princetoniensi. In Universitate Thessalonicensi doctor h.c. factus est. Libros scripsit de prosa et de poesi Latina, de Historia litterarum Latinarum, de Roma speculo Europæ, de Ovidio, de Vergilio, de Cicerone, de Seneca, de poesi epica, de Simia Heidelbergensi (aliaque Scripta Latina).

* * *

De ATHENAEO ILLUSTRIS

ATHENAEUM ILLUSTRIS, renatum quidem illud, societas Amstelodamensis est, anno 2012° constituta, idest 380 annis post antiquum Athenæum Illustre anno 1632° conditum, quod tamen decursu sæculorum magno doctrinarum detrimento jamdudum evanuit.

Socii amicique **ATHENAEI ILLUSTRIS** id nostra ætate præcipue animadvertendum censuerunt, quod pleraque nunc hominum ingenia, licet haud exigua bonarum artium cognitione exulta, ita ægrè difficiliterque ad Latinorum Græcorumque scriptorum familiaritatem sese applicant, ut non modo antiquorum memoriæ bonarum artium dulcissimus fons, sed etiam cunctis ferè ulterioribus sæculis exinde latè manantia humanisque litteris uberrima flumina quasi in tenebris latere videantur. Quum vero omnem inter homines familiaritatem maximè afferat consuetudo, consuetudinem autem sermonis usu niti constet, hunc usum, utpote familiaritatis fundamentum, sibi quam maximè provehendum proposuerunt.

Nam, etsi optimi doctissimique homines, imprimis in Europæ et Americæ Studiorum Universitatibus, thesauros cultus nostri sedulo custodiunt et inquirunt, **ATHENAEI ILLUSTRIS** socii non solum hisce in studiis apud Studiorum Universitates (muneris gratiâ) versantes, sed cunctos homines liberalium artium studiosos hunc usum obtinere posse affirmant, quod ex exemplis majorum nostrorum manifesto patet, qui per sæcula, cum nobis arte didascalica (ut ipsi volumus) inferiores, tum sine mirificis his instrumentis quæ in nostro ævo nusquam non in promptu habemus, utramque linguam magno nostro usui, commodo, gaudio non solum optimè discebant sed etiam magnificè et admirabiliter colebant.

Sodales igitur novi **ATHENAEI ILLUSTRIS**, ut disciplinis, quotquot in orbe Occidentali floruerunt, docendis librisque de eisdem in lucem edendis faveant, ut curriculum studiorum in Academiis Gymnasiisque Batavicis iam tritum et consuetum aliis subsidiis per auctum sermonum usum compleant, nervos omnes industriæ studiose contendunt. Hæc omnia curanda sunt ad juvenes instituendos, ut et futuris temporibus homines sint qui cum scriptoribus – ut Petrarca aiebat – sermocinari pergant.

Est igitur circulus Latine loquentium, ad quem magistri ac professores qui Latine doceant aut acroases faciant sæpicule invitantur.

Si plura scire vis, vide: www.athenaeumillustre.org
vel scribe ad nos: info@athenaeumillustre.org

ATHENAEUM ILLUSTRÉ
AMSTELODAMI ANNO MMXII RENATUM

www.athenaeumillustre.org

Latinitatis Conventus
Amstelodami anno MMXV